



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

clxxxix [i.e. viii]. Alteratio est mutatio rei secundum qualitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



pote propter intensas qualitates à facultate nutritiva insuperabilia , esse non possunt alimenta ) & quidem attemperata alendo, sive similis cum nutriendo , & ei convenientis tēperamenti; unde quæ uni profunt, alteri sunt noxia. Alimentum proximum sanguine præditorum est sanguis , qualis ( etsi coagulatus ) etiam videtur esse medulla , à qua ossa nutriuntur. Sic ipse ventriculus potius sanguine , quàm chylo nutriri censetur , quia & ad hunc exsurgendum suas venulas habet , & sic materno sanguine ipse nutritus fuit , antequam ipse chylum conficeret. Quòd verò obesi minus sanguinis habentes plus nutriantur , inade est , quòd apud illos sanguis resolvatur in vapores , qui dein ulterius formantur in adipem.

VIII. ALTERATIO latè sumpta est motus ad qualitatem , seu mutatio rei secundùm qualitatem , qualiscunquè ea sit. Accepta strictiùs est motus ad solas qualitates habentes contrarium, ( non tantùm directè contrarium , qualis est nigredo respectu albedinis, sed & medio modo , qualis est viriditas respectu albedinis )



dinis) sensibiles, corruptivas, id est, dis-  
ponentes ad generationem & corruptionem.  
Consistit & illa, non in productione ha-  
rum qualitatum, sed in ipsa unitione earun-  
dem cum subjecto; hoc enim priusquam  
illis unitur, non potest dici alteratum. Al-  
teratio accepta strictius, per se loquendo  
est successiva, ob resistantiam contrarii:  
terminata vero ad qualitatem non haben-  
tem contrarium, est ideò solùm succes-  
siva, quia successivè partibus passi appli-  
catur. Item ea per se loquendo est conti-  
nua & sine interruptione. Arist. autem  
negans, alterationem esse motum conti-  
nuum, dicensque eos, qui dicunt rem  
continuò alterari, rebus etiam perspicuis ad-  
versari; per tò *continuum* intelligit *per-*  
*petuum*; oppugnat enim eos, qui cen-  
sebant, omnia perenni motu agitari, ne-  
que ullo tempore sub ulla forma quies-  
cere.

IX. INTENSIO qualitatum (suppono  
enim nec quantitatem, cujus plures par-  
tes nequeunt esse in eadem subjecti par-  
te, nec relationem, ratione cujus præ-